



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

1. An si quis cum Pontifice sciente commiteret Symoniam incideret in poenas, si Papa expressè cum ipso non dispensaret? Ex quo infertur, quod si Statuto Episcopi caveatur, quod ludens ad hazardum sit ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

vo concubitu; vel filia ipsa esset parata scipiam occidere ad infamiam avertebam, nec alio modo posset ab hac involuntate averti: in tali casu liceret consulere, & inducere ad abortum procurandum, quia hoc non esset inducere ad malum, sed ad electionem minoris mali, quæ bona est. Ita ille. Et licet multi negent non esse suadendum minus malum, ad evitandum majus, tamen hoc posse fieri magis probabiliter afferunt alij: Et ita novissime tenet Eminentiſſimus Dominus meus Cardinalis de Lugo *de Inst. tom. 1. disp. 19. sect. 2. §. 2. num. 43.* ubi sic ait. Hæc quæstio supponit illam aliam, an volenti facere gravius peccatum liceat consulere minus? In qua quæstione multi absolute negant id licere, Antoninus, Gabriel, Sylvester, Cajetanus, Conradus, Covarruvias, Valentia, Angles, quos affert Thomas Sanchez *lib. 7. de matrim. Novæ cū disp. 11. num. 14.* qui eam sententiam satis probabilem

putat. Atq; tamen communiter, quos idem Sanchez & in tom. 8. refert, & sequitur *num. 16.* dicunt, cum debitis circumstantiis id licitum esse: nempe quando ille cui id consultitur, sumum animum habebat utrumque, vel certe gravius malum facienda, nec aliter potes illum avertere à graviori malo. Ratio autem est, quia consilium illud non est absolutum sed conditionatum explicite, vel implicite scilicet, si unum ex his facturus es, fac hoc minus, & non illud gravius, quod quidem verissime, & rationabiliter consultitur: quia ex duobus malis minus malum est eligendum. Ita ille.

In indice primo hujus Tom. 5. in fine tract. 6. de Abortu, sunt paucissima Diffic. quæ simul pertinent ad hunc prædictum tractat. 6. de Abortu, &c.

TRACTATUS SEPTIMVS, DE SIMONIA, ATQVE DE DATIS, ET PROMISSIS SVPER BVLLAM GREGORII XIII.

RESOLVTIO PRIMA.

An si quis cum Pontifice sciente committeret simoniam incideret in penas, si Papa expresse cum ipso non dispenseret?

Ex quo inferitur, quod si statuto Episcopi caveatur, quod ludens ad hazardum sit excommunicatus, ludens cum eodem Episcopo, qui statum edidit, an sit excommunicatus, etiamsi Episcopus non incidat in penas statuti?

Etiamsi advertitur, quod si Princeps sciens aliquem esse inhabilem ad dignitatem, quam ei conferre intendit, ipso facto, quo ei confert, tacite, impliciteque videtur eum capacem reddere, & cum eo dispensare.

Et tandem queritur, an Pontifex incurrat crimen, & penas simoniae juris positivi? Ex part. 10. tract. 16. & Misc. 6. Ref. 16. alias 15.

AFFIRMATIVAM sententiam docet Paludanus in 4. d. 25. quæst. 4. Sylvest. in verb. *simonia quæst. 4.* Aurea Armilla in eodem verb. in fin. Dominicus à Soto lib. 9. de *Inst. & jure quæst. 5. art. 2.* Petrus de Aragon. in 2. 2. S. Thomas 9. 100. art. 1. versus fin. Greg. de Valent. in 9. puncti. ult. Angelus in verbo *simonia* 5. §. 7. 8. & infra verb. illo 7. §. 5. S. Antonin 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 2. Felinus in hoc cap. & in cap. De cetero col. fin. de re judic. Turrectem in d. cap. latorem. num. 4. Martinus Navarr. loco citato, & ejus Discipulus Didac. Covarr. in relect. cap. Peccatum de reg. jur. in 6. part. 2. §. 8. num. 9. Colinus Philarcus Theologus Florent. tom. 1. de offic. Sacerdotis lib. 6. cap. 3. concl. 5. Tom. V.

Atque hæc est communior, receptiorque opinio. In partem negantem iverunt Adrian. quodl. 9. art. ult. ad 4. principale. Ioannes Major in 4. d. 25. quæst. 3. In hanc partem allegatur à Panormit. etiam Ioannes Andreas in regul. cui licet de reg. jur. in 6. Mercurialib. Vbi ad propositum facit, quod ait in summi. Si Episcopi statuto caveatur, quod ludens ad hazardum, sit excommunicatus ludens cum Episcopo, qui talem statum edidit, excommunicatus est, etiamsi Episcopus non incidat in penam statuti. Cardinalis Cajetanus 2. 2. quæst. 110. art. ultimo. anceps est in hac dubitatione. Vtriusque sententiæ argumenta ponit, & solvit. Et quidem dispensatio est actus potestatis legislativæ, atqui Pontifex admittens simoniam, si aliud non dicat non utitur hujusmodi ullâ potestate; sine dispensatione autem manent in suo vigore leges penales respectu subditi; ergo in proposito ejusmodi penas incurrit. Deinde, etiam si Papa salvet excommunicatum verbo, osculo, literis, aut alio quovis modo cum ipso communicet, non propterea cum censetur absolvere, ut aperte definitum est Clementina, si summus Pontifex; De sententia excommunicationis.

2. Sed, ut verum fatear, ego negativæ sententiæ adhæreo, dico igitur, quod Pontifex scienter committens cum alio tertio simoniam, ipso facto dispensat cum eodem, ut non incidat in penas à Canonibus latas contra simoniacos, secundum affirmantem, communioem, & veriorum opinionem. Ratio est, quia scientia Principis purgat hoc crimen, quantum ad eas penas, quæ sunt juris positivi. Quandoquidem Princeps sciens aliquem inhabilem ad dignitatem, quam ei conferre intendit, ipso facto, quo ei confert, tacite, impliciteque videtur eum capacem reddere, & cum eo dispensare, juxta dicta à Barr. in l. Barbarius n. 12. ff.

de offic. Prat. Felinus in cap. praegea num. 9. de testibus cogendis Panormita in cap. in cunctis §. Infer. & in cap. Innotuit. colum. 4. de elect. Roman. in cons. 327. & alios alibi. Atque causa ejus reddi potest: Quia alias actus

Alibi in res.
i. not. pra-
reita.

Principis esset illulorius, nullumque effectum fortiter, quod est absurdum, idcirco non dicendum. Ex hac conclusio infero cum Paludan. & post cum S. Anton. & aliis, quod si quis acciperet beneficium in Curia Romana, & conscientiam haberet de scientia Papae confirmantis, penitendo de peccato, non teneretur resignare, sed posset retinere. Ad illud allatum à Ioanne Andrea de ludente cum Episcopo, qui tulit excommunicationem in sic ludentem, & Respondet Sylvest. & alij quidam, in primis de Episcopo, quod ipse non potest secundum aliquos facere, ut stante statuto suo contraveniens non ligetur: quod tamen Pontifex potest: Vel aliter, quod Episcopus ludendo cum aliquo etiam praesumptive dispense, ut ille impunè cum eo ludat sicut etiam Pontifex secundum praedicta implicite, & praesumptive dispensat in simonia ejus, qui eandem secum committit. Et ideo hanc sententiam praeter Doctores citatos sustinet Lessius lib. 2. cap. 3 §. 5. dub. 5. n. 32. Covarruvias ad regul. peccatum part. 2. §. 9. n. 9. & Ioannes VVigers de just. tract. 7. cap. 4. dub. 5. n. 23. Malderus tract. 9. cap. 3. dub. 4. Navarra de Res. lib. 2. cap. 2. num. 34.

Sup. hoc ibi-
dem.

3. Sed si aliquis inquirat, an Pontifex incurrat etiam simoniam juris positivi. Aliqui existimare videntur peccatum simoniae juris humani non posse in Pontificem cadere. Suarez tom. 1. de Relig. 4. de simonia cap. 52. num. 4. dicit, quod Pontifex summus possit facile vitare simoniae vitium, etiam si venditiones, vel contractus faciat circa res spirituales, qui jure tantum Ecclesiastico simoniaci effecti sunt, Bonacina autem quest. 5. numero 5. dicit quod possit Pontifex culpam simoniae iure Canonico prohibitive contrahere, si rei naturam praecise spectemus; ulterius vero significat, quod tamen de facto nunquam contrahat, in quod etiam inclinari videtur Suarez: fundamentum horum est duplex, puta quod Pontifex praesumatur secum dispensare, quando facit tales contractus. Sed Suarez magis placet aliud fundamentum, quod materiae illae ipsorum canonum non aequè concernant Pontificem, & inferiores Praelatos, ac fideles: quod certe universaliter non videtur verum; non enim apparet quare materia quae cadit sub prohibitionem de non vendendis beneficiis, & spiritualibus officiis non aequè concernat summum Pontificem, quando necessitas, aut utilitas Ecclesiae id non requirit, ac inferiores Praelatos, imo videretur multo magis ipsum concernere, quandoquidem habeat longe plura, & quae majoris sunt momenti conferenda, & ex quorum sana distributione magis pendet commune bonum Ecclesiae. Neque ad rem facit quod habet Bonacina, quod nullus supremus Reipublicae, Princeps prohibetur vendere officia vendibilia suae Reipublicae, quia etsi id verum esset, seposita omni prohibitione positiva, si tamen ipse cum Senatu Regni judicasset, esse contra bonum Regni talia vendere, & sic universalem prohibitionem fecisset, teneretur ipse quoque lege illa ut directiva, & delinqueret, si absque rationabili causa contrarium faceret; quemadmodum in aliis legibus aequè Principem & subditos concernentibus. Et haec omnia docent Lessius, & VVigers ubi supra. Sed cum Suarez, & Bonacina concurrat Malderus loco citato: Verum quid quid sit de hoc, certum est, quod numquam Pontifex incurrit poenas jure Ecclesiastico constitutas contra simoniacos, ut excommunicationem, suspensionem, inhabilitates, &c. Ita docent communiter Doctores: Vide etiam praeter alios supra adductos

Sup. hoc in
tom. 6. tr. 1.
lege doct.
Ref. 202. &
§. ejus not.

Petrum Binsfeldium in cap. 1. de simonia, quest. 2. per totam.

RESOL. II.

An in simonia detur parvitas materia, ita ut hoc peccatum possit aliquando esse veniale, & adducatur multi casus in exemplum, & pro praxi hujus difficultatis?

Et an excommunicatio Extravag. 2. de simonia, & Consi. Pij V. incurratur per simoniam, quae videtur esse parva ex parte pretij? Ex p. 5. tr. 5. Ref. 2.

§. 1. **N**egativam sententiam mordicus docet Suarez, quia neque ex parte rei spiritualis, nec ex parte pretij potest ita diminui hoc peccatum. Primum patet, quia nullum donum gratiae, quantumvis parvum videatur, esse potest vendibile sine gravi irreverentia Dei, & ipsiusmet doni, quod licet in suo ordine sit parvum, nihilominus non potest contemni, neque conculari sine gravi culpa, & eadem ratione nec vendi potest sine culpa, quia per hoc gravissimè contemnitur, & tanquam quid vile tractatur. Et quantum est ex parte talis actionis subtrahitur à gratuita donatione Dei. Nam quod pretio potest aestimari ac dari, non reputatur tanquam pendens ex gratuita donatione Dei. Unde sicut laberetur gravissimè, qui vel minimum opus pietatis sibi tribueret, & non gratia donationis Dei, neque in tali cogitatione potest inventi levis materia: ita graviter peccat semper, qui donum aliquod gratiae, etiam si minimum esse videatur, venditioni exponit. Sic existimo esse peccatum mortale vendere vel minimum unum cererum, agnum, vel pro vero pretio unam orationem Anglicam, vel aliud simile spirituale facere, aut conficere. Multoque certius est esse peccatum mortale, primam Tonsuram pretio dare, licet in gradu Ordinum videatur quid minimum, idemque est in similibus. Idem facile ostendi potest ex parte pretij, nam illud magnum sit eo ipso quod apparet gravis deformitas, quia tunc ex utroque capite satis magna est materia talis delicti. Item illud est magnum lucrum temporale, & est turpissimum, quia per abulum rei spiritualis acquiritur; ergo grave peccatum.

2. Dices rationem hanc probare solum ex parte vendentis, nam ille qui emit, nihil lucratur temporale, sed potius jacturam patitur. Respondeo primo eumentem peccare saltem ex priori capite, quia rei spirituali injuriam facit, & quo majus pretium dat, eo ut sic dicam; minus gratis vult illam habere, atque ita vult habere gratiam non gratis, quod, perversum est (ut dicitur in cap. gratia 1. quest. 1.) etiam in minimo dono gratiae, & deinde cum emere, & vendere correlativa sint, si venditio est simoniaca, etiam emptio, & si una est gravis, etiam altera, saltem per quandam societatem & cooperationem: si autem pretium sit vile, eo magis videtur vilipendi, & contemni res spiritualis, quae sic venditur, & equiparatur enim pretio temporali, & quia in suo ordine parva esse videtur, vilipendio danda, aut comparanda censetur. Itaque conjunctumque quantitatibus sit id, quod pro re spirituali datur, si revera ut pretium datur, & accipitur, simonia est, & per eam gravis irreverentia fit rei sacrae, & ideo non potest excusari à peccato mortali propter materiam levitatem. Et haec omnia docet Suarez; cui etiam addo Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez in sum. 10. 1. Doctores, quos citat, & sequitur Layman lib. 4. tom. 1. tract. 2. disput. 2. punct. 7. num. 4. Layman lib. 4. tract. 10. cap. 8. num. 4. Sancium in selectis disput. 15. num. 14.